

No. 280. 1471. 28. Oct.

B. Tilo von Merseburg bestätigt den eingerückten Stiftungsbrief des M. Johann Ewderitzsch über den S. Gangolfsaltar in der Nicolaikirche v. 20. Oct. 1471.

Tilo dei et apostolicae sedis gratia Merseburgensis ecclesiae episcopus ad perpetuam rei memoriam. Aeternus et elementissimus deus origo rerum et omnium principium etc. Hunc itaque dei et sanctorum suorum cultum efficacemque et meritoriam religionem honorabilis vir magister Johannes Ewderitzsch de Lipczk sacrae theologiae professor Merseburgensis diocesis clericus amplificare volens — certos annuos redditos de bonis suis paternis et aliis illis superadditis iuste et legitime acquisitis reemtionis titulo iusto pretio emptos et comparatos in praetorio Lipczensi videlicet triginta florenos Renenses singulis annis in suis terminis iuxta litterae desuper confectae tenorem solvendo nobis cum supplicatione — religiosius obtulit instanter petens, quatenus — in domino gratanter acceptare eosque census annuos — pro altari sancti Gangolphi martyris in ecclesia sancti Nicolai opidi Lipczk — unire — praedictumque altare in beneficium ecclesiasticum erigere — censusque annuos — titulis ecclesiasticis insignire de paternae benignitatis affectu gratiosius dignaremur. Cuius quidem ordinationis tenor sequitur per omnia et est talis.

In nomine sanctae ac superbenedictae et individuae trinitatis patris videlicet et filii et spiritus sancti amen. Cum de omnibus donis naturalibus fortuitis et gratuitis huiusmodi divinitus collatis ipse rationem deo facere sit obligatus, tanto ergo amplius quanto melior est spiritus cunctis rebus ab eodem conditis homo sollicitudinem gerere debet de ipso, ut ad suum convolet auctorem qui dedit et plasmavit illum ac sic diem extremum suum bonis operibus praeveniando cursumque suum salubriter sic instituendo, ut bravio aeternae felicitatis nullatenus privetur. Hinc est quod ego Johannes Ewderitzsch de Lipczk artium liberalium ac sacrae theologiae magister minimus Merseburgensis diocesis clericus de salute animae meae, parentum fratrum et sororum necnon progenitorum meorum qui ex hoc saeculo migrarunt sollicitus et ad divini nominis cultum et honorem pro possibilitate mea ampliandos mentis meae studium convertendo altare sancti Gangolphi martyris in ecclesia parochiali sancti Nicolai opidi Lipczk Merseburgensis diocesis ad omnipotentis gloriam dei a reverendo in Christo patre et domino domino Johanne Boßen felicis recordationis olim episcopo Merseburgensi anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo dominica proxima post Francisci confessoris dedicatum ipsumque certis bonis et redditibus — puta in summula triginta florenorum Renensium dotavi ut in littera contractus desuper confecta expresse ac liquide apparet^{a)}, quod in eodem altari altarista aut rector eius qui ipsum post me obtinebit vigore collationis facere et peragere sive legere per se vel per alium singulis septimanis per anni circulum quinque missas sit obligatus, de quibus una debet dici de sancto Gangolpho et una pro fidelibus defunctis, aliae vero tres dicantur ad beneplacitum officiantis seu altaristae, ad quas missas dicendas ego Johannes praefatus minime astringi volo, et quod

a) No. 277.